

CELSISSIMO PRINCIPI  
JOSEPHO WINCISLAO  
DE LICTEINSTEIN,  
SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI,  
&c. &c. &c.

**T**omo huic Tertio Thesauri mei facta spes jamdiu fuerat, fore ut brevi itinere ad tuas manus, Celsissime Princeps, perveniret. Amplissimâ nimirum Legatione jam functus Lutetiae Parisiorum vale dixeras, relictâ tamen ibi tui Nominis ac Virtutum non facile delendâ memorâ. Tibi jam parabat amplexus & plausus Germania tua; te rursus Italia nostra impatienti animo praestolabatur, satis conscientia, tibi creditum fuisse Insubrum regimen, teque brevi adfuturum. Hinc Mediolanensis Populi hilaritas, quod post optimum Praesidein accepturus alterum foret, Sapientia, Aequitate, atque Humanitate cum melioribus a longo tempore certantem. Sed heu (vel ipsum meminisse quam acutum telum est!) en audimus immaturâ morte raptum CAROLUM AUGUSTUM, illum nempe gloriosissimum Romanorum Imperatorem, illum Literarum patronum, in quem tot confluxere Virtutes, ut vix parem sperare in posterum liceat. Hinc publicarum rerum novâ facies, coepitumque tuae Celsitudinis iter interruptum. Tu, inquam, iterum confilere jussus Lutetiae, quum difficillima tempora virum poscantum Ingenio, tum Eloquentiâ, ac peritiâ in Politicis negotiis praestantem, qui pro Serenissima Hungariae, & Bohemiae Regina MARIA THERESIA

*Tom. III.*

\*

iu